

A sti. Hanc habet Euangelium. Alterum est sacrificium laudis. ibi: Et populi laudabunt te. Hoc comitatur Euangelij prædicationem.

Duobus istis adiungitur primùm בְּדֹרֹתָא, In generatione & generationem: quod tam ad singulas Orbis nationes, quàm & temporum perpetuitatem referri potest: ita, ut intelligamus prophetiam esse de prædicando nomine Christi ubiq; terrarum, & omnibus seculis. Deinde sacrificio laudis quoq; additur nota perpetuitatis, לְעֹלָם וָעֶד perpetuò & semper, vel vsq;: hoc est. perpetuò, & indefinenter. Hoc est enim verè iuge sacrificium, quòd etiam in futuro seculo durabit. Et hoc sacrificium non vni tantùm, sed multis populis datur. Hoc diligenter notandum est contra sectarios, qui ad se solos Ecclesiam Christi rapiunt, & in se solos coarctant, quemadmodum & Donatistę fecerunt, & Papistę, & Anabaptistę. Ab ortu Solis, inquit Deus, vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus.

PSALMVS XLVI.

AD PRÆCINENDVM, FILIORVM CHORÆ, SVPER מִזְמֹרֹתָא CANTICVM

ARGVMENTVM PSALMI.

Apparet hunc Psalmum de certo & insigni aliquo Dei adiutorio, quo populum suum ex ingentibus periculis liberavit, ad hoc ut fiducia erga Deum in populo Dei aleretur, esse compositum. Iudeorum quidam putant can. de liberatione, qua Hierusalem è manu Assyriorum erepta & liberata est diuinitus per manum angeli: de quo legere est 2. Regum 19. Verùm ex versu 6. & 9. ut audiemus, magis videtur respiciendum ad eam historiam, qua percussis Ammonitis, Moabitis ac Syris, pax reddita est vniuersa Palestina. qua de re videre est 2. Sam. 10. 1. Paralip. 19.

PRIMO.

DEVS refugium nostrum & robur, auxilium in tribulationibus inuentus est validum. VERS. I.

Inuentus est validum.] Græc. & vulg. Lat. Quæ inuenerunt nos nimis. Felix: Inuentus est validum. LECTIO.
de Pagninus: Inueniemus validum.

B Summa cum gratitudine prædicant, primùm se magnis malis adobrutos fuisse, deinde ex illis esse ereptos ope diuina: vnde Deum vocant refugium, robur, & auxilium suum. Hoc primum est in omni gratiarum actione, confessioneq; auxiliij diuini. Proinde docemur hinc. EXPLANATIO.

1. Periculi magnitudinem post liberationem non esse dandam obliuioni, sed memoriter tenendam, & ingenuè confitendam ad hoc, ut simul magnitudinem opis diuinæ agnoscamus, & ad laudem & gloriam nominis Dei fateamur. OBS. I.

2. Nulla in re cognosci euidentius, quo loco nobis sit Deus, quàm in liberatione è malis. Hinc agnoscitur esse refugium nostrum, robur & auxilium nostrum. OBS. 2.

SECUNDO.

2. Propterea nõ timebimus, etiamsi nutet terra, etiamsi labatur montes in cor maris.
3. Si strepitum faciant, & intumescant vnde illius, si elatione illius concutiantur montes. Selah.

Si strepitum faciant.] Græc. & vulg. Lat. Sonuerunt & turbatae sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius. Hieron. Sonantibus & intumescantibus gurgitibus eius, & agitati montibus in potentia eius. LECTIO.

His verbis conceptam fiduciam ac seueritatem in posterum cõtra omnis generis, vtvt magnas, tribulationes exprimunt. Propterea inquirunt: Quapropter? Quia Dominus nostrum refugium, robur & auxilium est. Huius gratia non timebimus, &c. Magnitudinem fiduciæ declarant per ruinam terræ, lapsum montium in medio maris, strepitum maris, & id genus horrenda. EXPLANATIO.

Notandum hoc loco, vnde sit certa & firma securitas aduersus omnia pericula: hinc scilicet, quòd credimus Deum esse pro nobis. Rom. 8: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quid timebit, qui Deum habet protectorem & corroboratorem? Sed ad istam securitatem opus est, ut nulla timeamur siue nostrarum, siue aliorum virium fiducia. Alioqui non possumus dicere, Deum esse refugium & robur nostrum. OBSER.

TERTIO.

4. Fluminis riuuli exhilarant ciuitatem Dei, sanctum tabernaculum altissimi.
5. Deus in medio eius, non movebitur, adiuuabit eam Deus ad prospectum auroræ.

Fluminis riuuli.] Ebr. גַּחַר בְּלַגִּי. Græc. & vulg. Lat. Fluminis impetus. Hieron. Fluminis diuisiones. Iustin. Fluminis separationes. LECTIO.

Sanctum tabernaculum altissimi.] Ebr. קֹדֶשׁ מִשְׁכַּנִּי עֲלֵיךָ. Græc. & vulg. Lat. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Apparet eos sine punctis legisse kadash, & pro iod legisse vau, ut מִשְׁכַּנִּי pro מִשְׁכַּנִּי. Reliqua concordant. VERS. 4.

Colligunt ex præterito & accepto diuinitus tam insigni contra potentissimos hostes auxilio, Deum habere rationem populi sui, & ciuitatis suæ Hierusalem, esse illum in medio eius: tabernaculum sacrosanctum, quod collocauerat in eam ciuitatem, esse instar iucundissimi fluminis, cuius riuuli EXPLANATIO.